

vel in totum poterunt omitti. Tum, de more facta Confessione generali, latino vel vulgari sermone, Sacerdos dicat: Misereatur tui, etc. Indulgentiam, absolutionem, etc.

Antequàm Parochus incipiat ungere infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent; et ubi commodum fuerit, pro loco et tempore, et adstantium numero vel qualitate, recitent Septem Psalmos Pœnitentiales cum Litanis, vel alias Preces, dum ipse Uctionis Sacramentum administrat. Mox dicat:

In Nomine Patris † et Filii †, et Spiritus † Sancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, et per invocationem omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.

Deindè intincto pollice in Oleo Sancto, in modum crucis ungit infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formæ in hunc modum:

AD OCULOS.

PER istam sanctam Uctionem †, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.

Minister verò, si est in sacris, vel ipsemet Sacerdos post quamlibet unctionem tergat loca inuncta